SANCTIOR CÆLITUM ANNUS

ORATIO

HABITA AD SS. D. N.

CLEMENTEM X.

PONT. MAX.

In Sacello Pontificum Quirinali

Ipsa Sanctorum omnium die

ANNO IUBILÆI M.DC.LXXV.

A FRANCISCO RUDOLPHO SCHLIDERER à Lachen Cath. Eccl. Eystettensis Canonico Collegij Germanici, & Ungarici in Urbe Alumno.





ROMÆ,

Typis Hæredum Corbelletti. M.DC.LXXV.

SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI


CAESARI FACHENETTO S.R.E. CARDINALI

FRANCISCVS RVDOLPHVS SCHLIDERER A LACHEN Felicitatem.



ABITAM à me nuper in Pontificio Sacello de Cęlitibus omnibus orationem eo præsertim consilio in lucem edo, Princeps Eminentissime, vt sortiri possim huiusce nuncupationis honorem, ad quam & eximiæ prærogatiuæ Tuæ me inuitant, &, quibus Tibi obstringor, arctissima nomina me vltrò compellunt. Cæleste orationis argumentum amat auspicia Religiosissimi Principis, quique singulari cultu Diuinitatis, illibato morum candore, publicæ salutis flagrantissimo studio, alijsque dotibus heroicis, omnium sitim incendit, vt magni Patrui sui Innocentij Noni imperia Christiano iterum Orbi aliquando affulgeant. Eruditum porrò munusculum non ingratum accidet Illi, qui omnigena sapientia, insigni facundia, & elegantia, & humana, Diuinaque doctrina, quam

in ingeniosis sæpe certaminibus præfert ex tẽpore, omnium admirationem lacessit. At suauitas Clementissimæ Indolis Tuæ, quæ munificam mihi tutelam tàm profusè perpetuò indulsit, qualecumque hoc à me ingenij vectigal extorquet? Quod illud fuit humanitatis prodigium, cum regalis Purpuræ splendore honestare voluisti Theses, quas Eystetensium Principi, & Præsuli consecraueram? Et eximij Germaniæ Sideris vices obire claritudine Tua, dum nostrę ingenij pugnæ adfuisti, instaurato portento, quo Sol facem aliquando prętulit victoriæ Iosues, cui debuisset stellarum exercitus interesse? Qua verò sedulitate benignissimi patrocinij nostro semper compendio in Romana Curia consuluit auctoritas, qua summa polles, Eminentissime Princeps, à qua in posterum etiam sperare audeo meum omne præsidium, & decus? Vale, & Christianæ Reipublicæ bono diutissimè viue.



ORATIO



I à *Sanctioris*, qua *in præsentia* mortales *fruimur*, Anni *felicitate*, Beatissime Pater, aliquam *insoliti* gaudij lucem erumpere Cælitibus affirmet, nimis ad audendum proiecta videri possit oratio. A quo enim lætitiæ fonte *insolitam* Iubil*æi* anno haurire voluptatem possint, qui perpetuo innatant oceano gaudiorum? Quod præ cęteris *Sanctum* & innocens *ijs* tempus recurrat, quibus immortalem integritatis laudem adeptis clarior *innocentia* præstari nequeat? Qui veniæ atque indulgentiæ dies illis affulgeant, qui culpam, qua nulla inquinantur, nequeunt amoliri? At certè ad innuendam hac ipsorum triumpho consecrata luce Sanctorum beatitatem conferri aliquid posse arbitror, si nouum ab ipsis nunc agitari gaudium argumentis euicero, simulque ostendero, quàm ingentem gratiam Cælitibus debeamus, qui suam quodammodo arbitrantur hominum meliorem nunc ad frugem resipiscentium faustitatem. Et primò quidem licet nulla Cælitum lætitiæ vera possit ægritudo intercedere, an non amaris lacrymis Angeli pacis dicuntur demortuo domino parentasse? Cur ergo quæ illatas Iustitiæ *Soli* à mortalibus iniurias atrata nubibus, rorantia lacrymis beatissima *Sidera* prosequuta sunt, eadem quodam, vt ita dicam, *insolito* fulgure

gure

gure risus perstringi nequeant, dum ab hominibus maior nunc Diuinitati cultus exhibetur? Ex communi sapientissimorum hominum sententia, cum à Christi Vicario supremi sanctitatis honores Cælestibus Heroibus decernuntur, insolitus ipsis lætitiæ splendor oboritur, ac stillæ quodammodo adduntur deliciarum mari. Si ergo noua iucunditate pascitur animus Beatorum, dum maior ipsis ab hominibus honor defertur, quis amplecti verbis possit, quæ gaudia Sanctissimus hic Annus inuehat Cœlo, quo redeuntibus ad cor innumeris mortalibus ipsius Dei, cuius laudem præ sua Diui flagrantissimè ambiunt, mirificè honor augetur? Sed omnem nobis temeritatis suspicionem adimit Sapientiæ, Diuinæ suffragium, quæ insolita quadam hilaritate identidem conspergi Cælites docet, gaudium affirmans in Cœlo fore super vno peccatore pœnitentiam agente. An non igitur insolita nunc lætitià regnum illud beatissimum efferatur, cùm ferè omnes Christi nomini addicti mortales criminibus suis succensent? Nequè verò Radijs illis veri Iustitiæ Solis, Riuis ingentis fluuij, ex Dei sede manantis, Seruatoris Christi Vitis Palmitibus, Beatis, inquam, Cœli ciuibus, aptari nequeant ea, quæ Sancto Mortalium Anno tribuuntur; vt videlicet captiui soluantur, indulgeatur æs, quo alieno grauantur, vberiores ijs fructus terra suppeditet. Quidni enim hæc Cœlitibus communia videri possint, qui licet immortali libertate donati sint, ob amorem tamen, quo nostræ pugnanti Ecclesia triumphans penitus immiscetur, solui quodammodo sibi videntur à vinculis, quibus nos ipsi olim obstringebamur: sua deleri nomina putant, dum delentur nostra: nouis ornari fructibus suũ cælestiũ deliciarum hortum arbitrantur, dũ ijsdem nos vberius locupletamur. Qui plausus ab vniuerso Cœlitum Concilio datur, dum recluso ærario illo ditissimo, in nos Reparatoris Christi, Deiparę, ac Diuorum omnium promerita copiosè redundant! Quæ gaudia proueniunt munificentissi-

tiſſimis illis Regibus, dum comparato ab ipſis auro coronas nobis effingi, quæſitis plurimo ipſorum labore margaritis nobis ornari chlamydes intuentur! Gliſcunt lætitia virgines, dum ipſarum nos candor illuſtrat: explent animum iucunditate fortiſſimi fidei teſtes, dum effuſi ab ipſis purpura sãguinis decoramur: lætior ex noſtra felicitate vniuerſæ Cœlitum curiæ dies illucet. Quot nominibus maximis illis Principibus obſtringimur, quos non modò iu ſumma ſua beatitate noſtri non cæpit obliuio (quemadmodum amicorum memoria ijs ſolet excidere, quos ſupra communem ſortem euehit fortuna mortalis) ſed etiam noſtram vſquè adeò ſitiunt felicitatem, vt ex ipſa lætitiæ apicem quemdam ipſorum videantur gaudia prçſtolari. Quin igitur quæ nunc maximè Cæleſtis Hieroſolymæ Colonia cenſeri poteſt ſanctior Roma, omni ſtudio ſatagit, vt ſedulo cultu virtutis, & ſanctitatis, illius Regiæ gaudio cumulum addat, cui ſe deinde ſociam inferre ambit? Tu verò B. P; ſummum animi gaudium vſurpa, eò quòd Auctor cùm fueris, & porrò futurus ſis, Cælitibus plurimis ſuauitatis illius, quæ ab ipſis relatis in album Beatorum exoritur, nunc omnium gaudio plurimum confers, dum ſanctiſſimè celebras Annum Piacularem, qui noua cæleſtes Heroes iucunditate perfundit.

F I N I S.

